



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

Appendix. De communicatione Idiomatum, seu de modo loquendi in hac materia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

APPENDIX.

De communicatione idiomatum, seu de modo loquendi in hac materia.

RESOLUTIO UNICA. *In Christo admittenda est communicatio idiomatum.*] PROBATUR, nam cum Verbum sit unitum humanitati, ut satis patet ex toto hoc libro, sequitur naturam divinam, & humanam esse unitas in Verbo, & in unitate personæ. Unde fit ut de eadem persona duæ naturæ, itemque earum proprietates prædicentur in concreto, adeoque duplex communicatio idiomatum in Christo locum habeat.

Propter primam duplicis naturæ communicationem in unica persona, vera est illa propositio, Verbum est Deus, & illa, Verbum est homo. Itē quia Verbum est Deus, vera est illa propositio, Deus est homo, in qua etsi nomen, Deus, videatur supponere indeterminatè pro subsistente in naturâ divina, non tamen verificatur nisi de Verbo; imò ex usu communi nomen, Deus, accipitur ibi determinatè pro Verbo.

Ubi nota 1. Illam propositionem, Deus est homo, differre ab hac, Jesus est homo, & ab ista, Christus est homo, quia etsi Deus, Jesus, & Christus ibi significant personam Verbi, tamen cum discrimine; quatenus Deus significat Verbum ut suppositum naturæ divinæ, Jesus ut suppositum humanæ, Christus vero ut suppositum utriusque. Hinc autem sequitur primam propositionem esse contingentem, & duas alias necessarias; item primam esse quidem substantialem, alias verò essentielles, quia essenziale est supposito naturæ humanæ, esse hominem, sive simul aliam naturam terminet, sive non.

Nota 2. Non tantum veram esse propositionem illam Deus est homo, sed etiam istam, Deus factus est homo, quia scilicet in tempore assumpsit humanitatem;

tem; item illam, Deus factus est hic homo, quia assumpsit hanc humanitatem. Neque sensus est, Deum factum esse hoc suppositum, sed tantum, factum esse ut Deus hanc humanitatem assumpserit.

Nota 3. Veram etiam esse propositionem illam, homo est Deus, quia nomē homo supponit pro supposito naturæ humanæ, persona autem Verbi, quæ verè & essentialiter est Deus, est suppositum naturæ humanæ Christi. Non tamen solet admitti illa altera propositio, homo factus est Deus, quia cum vox, homo, supponat pro persona, in Christo autem nulla sit persona præter Verbum, quod per æternam generationem est, Deus, neque unquam incepit habere divinitatem hinc propriè dici non potest, quod homo factus sit Deus.

Dices, interdum Patres illam propositionem usurpant. Verùm in nihil aliud volunt, quàm per Incarnationem factum esse, ut homo sit Deus, qui sensus bonus est.

Propter alteram communicationem dici potest, Christus est æternus, & temporalis; finitus, & infinitus, &c. scilicet ratione diversarum naturarum. Similiter Christus in rigore dici potest creatura, eò quòd illius humanitas in tempore producta est. *Nec refert* quod quidam Patres negent Christum esse creaturam, loquuntur enim de Christo ratione divinitatis, contra Arrianos, qui eum etiam ut est persona divina, minorem faciebant Patre. Ne tamen illis favere videamur, dicendum non est simpliciter Christum esse creaturam, sed tantum secundum humanitatem, quamvis simpliciter dici possit, Christum esse passum, mortuum, & sepultum; quia periculum non est quòd hæc, aut similia dicantur de Christo, ratione personæ divinæ.

Quo loco adverte, quòd etsi per communicationem idiomatum, quæ dicuntur de Deo, dici possint de homine, & vice versa; non tamen quæ conveniunt naturæ divinæ, dici possunt de humana in abstracto, aut

aut econtrà; cùm enim sint naturæ realiter distinctæ, habeantque proprietates realiter distinctas, nõ nisi falso dici potest, unam esse alteram, aut quod prædicatur de una alteri competere. Unde quamvis propter unitatem suppositi subsistentis in natura divina, & humana, rectè dicamus, Deus est homo, & homo est Deus, item Deus est passibilis, & homo est impassibilis; non tamen dici potest divinitas est humanitas, divinitas est passibilis; aut, humanitas est divinitas, humanitas est impassibilis.

Lutherani aliter explicant hanc communicationem idiomatum. Volunt enim proprietates naturæ divinæ esse formaliter communicatas humanitati, nempe omnipotentiam, ubi-quitatem, &c. sed errant ut patet ex variis Conciliis, quæ statuunt, utramque naturam suas retinuisse proprietates. Deinde non est potior ratio de uno attributo, quam de aliis; at humanitas non potest dici æctus purus, immortalis, independens, &c. Rursus si humanitas esset omnipotens, contineret rerum omnium possibilium perfectiones ageret independentem à quovis alio, &c. Denique si esset ubique Christus non posset moveri secundum locum, & ita non esset natus in præsepio, suspensus in cruce, &c.

Dices Christus est ubique, Christus est homo, ergo homo est ubique, ergo humanitas est ubique. Hic est cavillatio, nam in prima propositione Christus sumitur pro ipsa persona Verbi, & in secunda, pro Verbo ut unito humanitati: priori modo est ubique, non posteriori, quia etsi Verbum sit ubique, non tamen ubique est unitum humanitati, sed in certo loco duntaxat. Unde & ibi tantum habet rationem Christi.

* *
*